



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

195. Sabbato. B. Virgo refugium peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 6. Dom 3. post Pentecost. 348

intellectum, voluntatem, vires corporis, ad ferenda multa, & varia tormenta, & afflictionum genera. Statuam ab his, quos læsi, veniam petere, & coram illis me submittere, omnibus, qui me læserunt, ignoscere. Petam humiliter indulgentiam, & pro spe eius concepta gratias agam.

Conf. 3. Verba D. Bernardi sermo 3. in Cant. Si dixerit mihi IESVS, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Ut autem peccare desinam, tria petam cum D. Augustino lib. 2. Conf. cap. 12. Occasionis subtractionem, resistendi virtutem, affectionis sanitatem.

MEDITATIO CXCIV.

Sabbato Domin. 3. post Pentecost.

B. Virgo refugium peccatorum.

Constituam me reum coram integerrima Dei parente, vanum coram humilitate eius, & petam cum D. Bernardo: *Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum.* Ser. 2. de adv. Dom.

Conf. 1. Promptitudinem B. Virginis mihi succurrere volentis, meumque te in aro commutaturæ, si septem causas peccatorum extirpare volo: quæ sunt: 1. Dictamina eronea. 2. Voluntatis ad bonum naturale

P s propen-

346 *Sabbato post Dom. 3. Pentecost.*

propensio, & spiritualis boni postpositio. 3. Appetitus inferior, trahens voluntatem ad bona sublunaria. 4. Passionum intemperantia, & complexio inordinata. 5. Malus habitus. 6. Occasiones externæ. 7. Tentationes dæmonis.

Conf. 2. Ad excirpandas has septem causas lapsum opus mihi est contra 1. causam Intellectu, ad elicienda lumina practica. Contra reliquas quinque opus est mortificatione. Contra septimam fideli recursum ad eum, quem Dei loco habeo. Itaque meditatione, & mortificatione obtinebo victoriam contra omnes lapsum causas.

Conf. 3. Quomodo proposita totius septimanæ ad sanctum Altare pedum B. Virginis offeram, juxta Proph. Baruch. *Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* cap. 4. vers. 28. Digni fructus pœnitentiæ sunt: 1. Impositæ à Sacerdote pœnitentiæ, quæ ex opere operato juxta proportionem, quam habent cum pœna, operantur. 2. Opera satisfactoria ab existente in gratia Dei facta: quia, ut ait Trid sess. 14. cap. 8. *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus.* Sunt ea opera oratio, psalmodia, eleemosyna, opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, jeju-
nium

Dominica 4. post Pentecosten. 347

nium in cibo, potu, somno, solitudine, castigazione corporis. 3. Per suffragia, seu per merita aliorum, preces eorum requirendo. 4. Per Indulgentias. 5. Per actus heroicos, ut commorari cum publicano in infimo loco, cum Augustino in Catechesi, cum B. Borgia sub pedibus Judæ: cum Maria ad pedes Christi, tanquam justitiæ & misericordiæ victima perennis: quia *gratia Dei vita eterna in Christo IESU Domino nostro, ad Rom. 6.*

MEDITATIO CXCVI.

Dominica 4. post Pentecosten.

De peccati venialis fuga.

Intuebor retia umbrosa, quibus passim optimi quique intercipiuntur peccati venialis rei. Petam extensa per orbem retia illa evitare.

Conf. I. Peccatum veniale, licet ob sui parvitatem vitam spirituales animæ non auferat, temporalem tamen poenam infert. Et licet nemo possit in hac vita, sine speciali privilegio, omni levi peccato carere, quemvis tamen posse, cum Dei gratia, peccata levia magis, ac magis minuere, vel ideo, quia pravitas sunt, atque adeo in numero illius sunt mali, quod *nihil dicitur, & ubique capitur.*

P 6

Conf.